

**Disputatio medica inauguralis de scarlatina ... / eruditorum examini subjicit
Gulielmus Dutton Turner.**

Contributors

Turner, William Dutton.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gjc2bqrq>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

J

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA ;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DUTTON TURNER,

JAMAICENSIS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1820.



IN DISPUTATIONE

IN ACADEMIA

DE

SCARLATINA

GRATI

ANNO MDCCCXXXIII

IN ACADEMIA MEDICA EDINBURGENSI

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

AGGREGATI ACADEMIAE PRAESENTI

RECTORI

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSILIO
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETUM

IN ACADEMIA

EDINBURGENSI IN ACADEMIA HONORIS AC PRIVILEGII

IN ACADEMIA MEDICA EDINBURGENSI

EXAMINARI

GULIELMUS DUTTON TURNER

AMMONEUS

IN ACADEMIA MEDICA EDINBURGENSI

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI

EXCUBENT ADAMSON & WALKER

1833



EDVARDO TURNER, M. D.

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS

PRAESIDI EMERITO,

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINENSIS SOCIO,

HAUD MINUS OB ANIMUM FRATERNUM,

QUAM MENTEM SCIENTIA, LITERISQUE MEDICIS, ORNATAM,

DILECTO,

HOC TESTIMONIUM EXIGUUM

SACRARE

HAUD POENITET

FRATREM FRATRIS AEMULUM.

EDUARDO TURNER, M.D.

REGIÆ SOCIETATIS MEDICÆ EDINBURGENSIS

TRASHOUI EMERITO.

COLLEGIÏ REGII MEDICORUM EDINBURGENSIS SOCIÏ.

HAUD NIKUR OB ANNUM PRÆTERITUM.

ANNO DOMINI MDCCLXXIII. DIE QUINTIDUO OCTAVAS.

DIRECTO.

HOC TESTIMONIUM EXIGIUM.

SACRARI.

HAUD PRÆTERITUM.

FRATREM FRATRIS AEMULUM.

To Dr. Chacagan

with the

author's compliments.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

IN hac dissertatione, animus fert scarlatinam in tres species seu capita redigere; scilicet, simplicem, anginosam, et malignam; dein rationem medendi cuique propriam exponere; et, postremo, de pathologia morbi disserere.

Scarlatina Simplex, ut mihi videtur, ex parte saltem vel forma minuta anginosam refert. Pallor et anxietas vultus, nausea cum anorexia, dolor epigastrii, cephalalgia, sensu frigoris commitata, adventum morbi praenunciant. Haec

signa per tres primos dies variare solent ; dein rigores accedunt, cutis praeter solitum calescit, mox rubor floridus faciem, brachia et pectus occupat, qui per alias partes corporis sine mora diffunditur.

Eruptione formata, febris interdum minor fit, dolor capitis et pyrexia ex magna parte cessant, vultus sese melius habet, et ventriculus vim solitam haud segniter recuperat ; sed si eruptione formata, stadium febrile perstet, tunc dolor capitis et nausea augescunt, pulsus praecipue ad vesperam celerior evadit, quo tempore delirium supervenire solet. Quarto vel quinto die a prima morbi accessione, symptomata molesta nonnihil levare incipiunt, aegro debili relicto, prout febris plus minusve aestuaverit.

Quanquam delirium magnae excitationis indicium in omni morbo graviter formidandum est, tamen mirum videtur quam parum haec res in scarlatina simplice attentionem auctorum sibi attraxerit ; nam delirium, quod vespere ingravescit, Aurora adventante decedit.

Fauces leviter inflammatae primam speciem hujusce morbi plerumque comitantur ; tenerae

videntur, et aeger bolum vel potum haud facile devorat : tamen multi hac forma mali laborant, quibus nec fauces dolent, nec medicus ipse ad colorem mutatas spectat. Hic, ut mihi placet, Doctor ARMSTRONG e recta via plurimum aberravit, qui fauces affectas princeps signum scarlatinae simplicis notavit ; sed tamen omnes fateri decebit, fauces, uvulam, et tonsillas, haud raro rubere et aegrum sine dolore devorare non posse.

Cum dolor insolitus seu ulcuscula fauces occupant, incerto tempore sese prodeunt ; et eruptione aggrediente, vel pedem referente, in aspectum veniunt ; aut, ut plerisque lubet, manus cum morbo ipso jungere gaudent.

Nec eruptio unam et eandem formam semper observat, nec omnes aegri certo et definito colore rubent ; nam aliis, tota facies corporis contra naturam mutatur, et nullum punctum cutis non intinctum cernitur ; dum aliis, brachia, vultus, talique solum eruptione occupantur. Neque per omnem diem color idem rubet, sed per istud spatium temporis varios gradus et mutationes accipit ; nam hac hora, floride et vivide

eminet, illa, vix secerni poterit : jam, omnes naturam morbi explorare habent ; jam, mora tenebris et dubio involutum declarant.

Varii auctores formam et adspectum hujusce eruptionis rebus familiaribus compararunt, prout imaginatio aut observatio ferebat ; meae quidem opinioni magis consentaneum est, ruborem, quo scarlatina laborantes tinguntur, haud absimile esse illi qui balneo frigido eductos occupat, quum vires corporis post ablutionem actionem incitatum assumunt. Hac immersione ipse saepissime usus, actionem subsequentem notavi, et si vestimenta propere induerentur, ut a frigore praecaveretur, rubor cutis jam dictus, per aliquod nec parvum spatium temporis, perstare solebat.

Superficies corporis, propter pyrexiam supra modum, aret ardetque ; nam calor usque ad gradum centesimum tertium aut quartum Fahrenheitiani ascendit ; et si in hac specie simplice fauces vel guttur dolere inceperint, tum vox quoque mutationem quandam subit, et denique, veluti aeger catarrho laboraret, exprimi solent.

Cum hoc fit, haud dubium videtur, quin ex inflammatione membranam Schneiderianam occupante originem ducat, et aucta mole mucii ductus nasales obsidente.

Vultus vivide floret, sed illam anxietatem et dejectionem, quae duas alias species comitantur, nunquam prodit: superficies corporis aspera redditur, quod a sanguine ad papillas cuticulares magna copia misso oritur; lingua humida est, et in media parte crusta albida obducitur, sed margines rubrae sunt, et punctis occupantur, quorum alia aliis majora sunt, prout ad radicem linguae sedem habent.

Pulsus crebrescit, dein major aut minor evadit fere eadem ratione ac caetera symptomata sese gerunt: viscera, quae secretioni chyli et nutrimento corporis inserviunt, morbo ingravescente, ex statu sano per consensum deflectunt; sed quando origo et fundamentum mali decedere inceperit, tunc vim solitam sine mora recuperant, et pyrexia paulatim minus aestuante, color cutis levius florescit, et die septimo vel octavo ab initio morbi pedem referre solet.

Species secunda, cui nomen Anginosae dedimus, incitatione generali, anxietate, anorexia, et dolore circa praecordia, primum accedit; haec symptomata nausea et vomitus excipiunt, quibus rigores, plus minusve graves, et incerto intervallo redeunte, succedunt.

Guttur et fauces rigidae factae, quas dolor et deglutitio difficilis propere occupat, cum signis jam dictis saepe incipiunt; sed hic dignum memoratu erit, indicia diagnostica sub initio morbi adeo varia et incerta esse, ut vix duos uno et eodem modo provenientes reperire possimus; nam eruptio, nullo signo adventus dato, in lucem prodeat, vel postquam aeger sese per triduum male habuerit, paulatim et gradatim exire lubeat.

In plerisque eorum, quos hoc morbo laborantes vidi, eruptio fauces affectas subsecuta est; in aliis eodem tempore ambae apparebant; dum paucis dolor gutturis eruptioni successit.

Tempus quo color rubicundus invadit per res alias variare potest; sed nocte secunda vel die tertio apparere solet; necnon est ubi omnia

signa quasi luce clariora nonnunquam videas, et tamen eruptio per plures dies sese abditam tenebit. Morbus tunc temporis sensu molestiae distincto accedit, quanquam aeger de quo queratur vix dicere queat: dein guttur ac fauces rigent et dolent; cutis supra modum calescit aretque; omnibus quibus signis dolor capitis, sitis, vomitus, et noctes inquietae comites adjunguntur. Hoc plane ostendit, magnas symptomatum varietates, quas morbus initio assumit, et unam descriptionem omnibus nequaquam sufficere.

Quum morbus ad diem quartum pervenerit, eruptio fere semper formatur, et pyrexia haud levis accedit; tota corporis superficies vivide floret, et rubor aucto gradu buccas, pectus, brachia, et nates occupat, dum idem in abdomine et partibus femorum anterioribus minus eminet. Dolor capitis, aurium tinnitus, cum vertigine aegrum vexaret; vultus rubet; oculi splendent, sed tamen anxietatem et dejectionem prodeunt; functio respirandi nunc celerius agitur, et prout pulsus sese habet, sic actio spirandi facilius aut gravior evadit.

Pulsus a centum et decem ad centum et viginti amplius minuto temporis variat ; et in junioribus, necnon sub initio morbi, valide pulsatur : sed exempla sunt, quibus diastole arteriarum digito vix explorari potest. Os cum tonsillis et pharynge colore vivido rubet, et cervix parte externa nonnunquam tumescit, et sine sensu doloris premi nequit. Maculae albae paulatim crescentes, pharyngem haud raro infestant ; sed si idonea remedia adhibita sunt, tunc crescere desinunt, crustulae abeunt, et foveolae sine mora implentur ; praeterea, materies viscida et tenax spectari potest parti pharyngis posteriori et tonsillis adhaerens, quae multos fefellit, quibus quasi ulceris crusta videbatur. Lingua hoc stadio morbi nonnunquam rubet tumetque, eandem formam et adspectum habens ac in tabulis Doctoris BATEMAN bene depingitur ; alio tempore in medio albida est, ad margines humida et rubra, et sine sensu acuto vix tangi poterit.

Modus quo haec ulcusculae seu maculae in tonsillis et pharynge apparent, a Doctore WILLAN accurate descriptus est, et quod de hac

re scripsit verbis quae sequuntur denotavit :
“ Slight superficial ulcerations are very fre-
“ quent, and more especially at the latter end
“ of the year. They occur at an early period
“ of the disease, as on the second or third day ;
“ when they are later, an opportunity is afford-
“ ed of marking their progress more distinctly.
“ The formation of them is preceded by a very
“ quick and unequal pulse, with lowness and
“ great inquietude. Small white patches are
“ then visible over the velum penduli palati and
“ the tonsils ; at the same time, the red colour
“ on those parts becomes darker in some places
“ than in others, so that the whole surface has
“ a peculiar speckled appearance. Soon after-
“ wards, fissures or excoriations take place at
“ the centres of the white patches, which are
“ almost immediately covered with a whitish
“ slough.”

Viscera chylopoëtica plurimum aegrotant,
nausea fere semper adest, et ad vomitionem saepe
pergit, cum materies biliosa ex ventriculo
parteque intestinorum superiore ejicitur ; in ca-
sibus levioribus nulla affectio viscerum abdomi-

nis praeter alvum astrictam reperitur, et faeces plerumque coloris nigri et foetoris intolerabilis adjiciuntur; sed nonnunquam albiae sunt, ut in ictero observatur. Siquando aeger de dolore epigastrii aut hypochondrii queratur, vultus interdum ad flavedinem vergit, et urina examini subjecta, praesentiam fellis haud dubiam ostendit.

Thorax quoque intactus raro evadit; respiratio fit celerior, et intervallum brevius solito habet; suspirium longum grave hanc difficultatem spirandi interrumpit, quod aegro levamen gratissimum suppeditat; sed si tussis et expectoratio, quae saepe sanguinea est, adsint, dolorem capitis violenter intendunt.

Vox eorum qui scarlatina anginosa laborant rauca et admodum ingrata evadit, quod a tonsillis et pharynge tumefactis in quibusdam oritur, et interdum a magna copia pituitae iis partibus adhaerentis augetur, dum in multis aliis a larynge et trachea inflammatis originem ducit.

Dolor quem hi aegri experiuntur, sine dubio augetur, si quaestionibus aliorum responsa red-

denda sunt; nam tum magna irritatio inducitur, ut verbis, sed multo magis vultu aegrotantis exprimi solet. Mihi quidem mirum videtur, quam rapide affectus animi sese depingunt in vultu eorum qui ullo morbo acuto laborant, et quam accurate expressio vultus cuique morbo propria formari possit.

Hoc multis vero absimile videatur; sed pro certo habeo, illos qui signa et varias formas morborum notare solent, meam opinionem in hac re volenti animo amplexuros esse.

De variis formis quas rubor cutis in hac specie scarlatinae assumit, jam antea breviter dictum est; nec proposito nimis deflectum, si pauca alia de hac re facerem. Eruptio tam multas facies gradusque assumit, ut si eadem depingere coner, thesin separatam sibi requirant. Saepe color vivide rubet, et totam superficiem corporis occupans, per omnem partem cutis sese pariter diffundit. In plerisque aegris tota cutis non eodem gradu rubet; nam color saturior quasdam partes prae aliis inficit, et maculas seu labes ad certos limites redactos plerumque format. Quum eruptio definitas partes solum

occupat, cuticulam floridam super immaculatam eminere facile videbimus. Si pars digito prematur, tunc color evanescit; sed manu retracta, sine mora iterum florescit.

Plurimas pustulas minutas in carpo et circa talos sedem habentes saepenumero vidi, quae adeo parvae erant, ut oculum incautum facile eluserint, magis eo quod squamulis cutaneis haud absimiles erunt. His apertis, aliquantulum fluidi flavidi extractum erat, quo morbum inoculatione propagare conatus essem; sed neminem tentamen subire volentem adhuc inveni.

Postquam eruptio et pyrexia per septem vel octo dies plus minusve graves fuerunt, gradatim leviores fiunt, guttur et fauces immunditia liberantur, functiones corporis ad statum sanum redire incipiunt, et aeger vires solitas cito recuperat. Quum scarlatina penitus accessit, anasarca nonnunquam supervenit, et multi quos morbus primarius haud superare potuit, asciti aut hydrothoraci foede ac miserabiliter succubuerunt.

Rubore evanescente, superficies corporis as-

pera evadit, et cuticula in squamulas minutas sese findit, partibus corporis quae primo florebant integumento primum orbatis. Si haec nudatio late grassetur, cuticula, quae palmas manuum plantasque pedum investit, magna mole separatur, cutem subjacentem tenerrimam et sensu acutam relinquens. Haec separatio cuticulae agricolas et dure laborantes, multo majore gradu quam excultiores occupat, et risum nonnunquam movet videre immanem bajulum cum manibus virginis tenellae, quando substantia cornea hoc modo exuta fuerit. Ungues raro vel nunquam separant.

Haec symptomata vel perstant vel ingravescunt tempore quo ea desinere expectamus; ulcera crusta quae pharyngem infestant, incrementum accipiunt, pulsus frequens sed debilis micat, eruptio minus eminent, et facies pallida et cadaverosa evadit.

Si aegrotantes ita affecti curam debitam accipiunt haud raro incolumes evadunt; sed bronchitis superveniens multos non gravius laborantes morte absumpsit.

SCARLATINA MALIGNA. Magnopere deside-

randum est, certos limites non adhuc prescriptos esse, intra quos appellatio malignae contineatur, et qui huic speciei scarlatinae proprii darentur. Nonnulli veteres auctores hoc verbum limitarunt cynanchi malignae, ubi fere nulla eruptio accidit, sed guttur et fauces valde afficiuntur, ulcera magna obrepunt, et cita mors aegrum absunit.

Quandocunque febris scarlatina fatalis evadit nunc maligna appellatur,—nomen quod revera minus idoneum videtur, quia mentes aliorum de nostra ratione medendi ita falli possunt; et exempla scarlatinae quidem existunt, in quibus fauces et guttur fere nihil dolent, ubi eruptio nigra sed parce diffusa apparet, et cerebrum, thorax vel abdomen laborare solent: his cita mors supervenit, et nomen malignae merentur. Quum igitur tam multa exempla huic classi pertinent, in duo loca redigere volo; priori quorum haec omnia dabuntur, quae magna ulcera gutturis et symptomata typhoidea comitari solent; et alteri, omnia illa quibus fere sine ulla remissione cita mors victimam vel rapit, vel quibus aeger haud dubie cessisset, ni vio-

lentia morbi fortiter et impigre cohibita esset ; sed quoniam veram ac distinctam speciem anginae malignae nunquam vidi, lectores meos ad auctores qui de illa scribunt referendum est.

Unica species scarlatinae malignae de qua dicam, est illa in qua symptomata sunt simillima scarlatinae anginosae praeter severitatem et durationem morbi ; et ut indicia, quibus adventus praenunciatur, sunt eadem ac in anginosa, hic repetere non necesse erit.

Rubor cutis vivide floret, et nonnunquam color saturior solito apparet, totam superficiem corporis occupans, guttur rubet et tumescit, et ulcera ac in anginosa infestant, dum aliquando parum vel nihil mutatur. Lingua in medio albet et aret, pulsus vi modica et frequens micat, alvus tarda est, et dolor capitis permagna evadit.

Haec symptomata non ita sese diu habent; delirium subito accedit, et aeger corpus e strato projicere conatur ; pulsus frequens et debilis est, oculus languidus apparet, lingua fusca evadit, et crustula nigrida obducitur, respiratio laborat, et mors, comate praeunte, finem ae-

rumnis victimae imponit. Symptomata ab ipso initio morbi formam malignam haud raro assumunt, et prognosis infausta vix unquam decipitur; nam aeger sic lacessitus exiguo spatio temporis diem supremum obit. Cerebrum his exemplis ex omni corpore maxime laborat; nam delirio aut comate mature accedente, morbus auxilium opis externae contemnit, et omnia repagula medici sine mora dirumpit.

In gravioribus exemplis scarlatinae plurimum sanguinis ex membranis mucosis, et ex glandulis quae salivam praebent interdum fluit; eruptio saturo colore rubens per totam superficiem corporis diffunditur, magnis petechiis et maculis editis, quae pustulas magnas referunt, interspersis.

Guttur necnon plurimum dolet, et pars superior palati cum faucibus uno ulcere occupatur. Morbo ingravescente, magnae vibices in quibusdam partibus corporis apparet; vesiculae comitantur, quibus ruptis, inquietudine aegri basin valde inflammata, et tactu dolentem ostendunt. Hoc stadio morbus vere typhoideus existit, et eventus plerumque infaustus erit.

Cadaveribus eorum qui ita perierunt sectis et exploratis, pleura reperta est punctis sanguineis conserta, velut si petechiae essent, et pulmones ipsi indurati apparebant; cerebrum haud dubia signa congestionis suppeditabat; et ubi urina sanguinea reddita fuerat, renes eodem turgidi erant, et magis solito rubebant.

Modus quo scarlatina simplex tractari debet, paucis verbis comprehendi potest. Aegrum cubile tenere jubemus; si necesse sit medicamenta purgantia adhibemus; paucam diaetam praescribimus; corpus frigidulum servamus, et magna cura danda est, ne symptomata morbi quam minime intendantur. Si hae curae impotentes reperiantur, et violentiam mali superare nequeant, tunc ad illa remedia confugiendum est, quae jamjam notabuntur. Quum omnia indicia in scarlatina anginosa sese multo graviora quam in simplice ostendunt, et ut salus aegri in summo discrimine erit, ni morbus recte et strenue tractetur, facile constabit plura de illa, quam hac enumeranda esse, et ex jam dictis, nemo erit, ut reor, qui non videbit scarlatinam anginosa esse morbum excitationis, ut pulsu vali-

do et frequenti, calore corporis, et dolore in variis organis facile dignosci poterit.

Ratio medendi in scarlatina, ut mihi videtur, simplicissima erit; et si consilium, quod hic datur, ab initio strenue amplectatur, morbus raro infaustus reperietur. Constat in maturatione depletionem, qua inflammatio cujusvis organi, quae haud dubie praecipua causa mortis, cohiberi possit; et ut varii modi sunt, quibus haec depletio perficiatur, necesse erit ut plene describantur et recenseantur, justo ordine quem virtutes merentur. Quanquam detractio sanguinis a plurimis auctoribus nec parvi nominis culpatur, et ab aliis quasi futilis vitatur, tamen optimum remedium in scarlatina anginosa, ut puto, habendum est. Saepissime vidi hanc detractionem summum auxilium afferre; et mirum quidem videtur, ullum qui dolorem capitis, oculos suffusos, et pulsum validum notaverit, de virtute hujusce remedii unquam dubitare posse. Quo alio modo tandem haec symptomata magnae excitationis levare queant? An vesicatoriis aut purgantibus? Minime quidem; nam quamquam sola praeter missionem sanguinis idonea

sunt, tamen ad curationem nequaquam valent ; sed tantum in auxilium huic praestantissimo remedio vocari debent.

Quantum sanguinis detrahi oportet, ex statu aegri multum pendeat. Si aetas floret, si viribus corporis gaudet, sexdecim vel viginti unciae mittendae sunt, et etiam illa quantitas modica erit ; sed memoria semper tenendum est, magnam copiam semel detractam plus boni suppeditare, quam si saepe et parce sanguis emittatur ; nam sic vires aegri minuemus, et violentiam morbi parum vel nihil cohibebimus. Multi hoc argumentum contra detractionem sanguinis in scarlatina anginosa protulerunt, nempe, primam actionem contagii esse naturae debilitantis ac sedativae, et cor cum arteriis statu cutis inflammato magna quantitate sanguinis orbari, et pulsum, quanquam plus solito contrahit, semper debilem manere. Actionem contagii vires corporis debilitare, et argumentum jam dictum vero simillimum esse, haud mihi lubet negare, sed nihil dubii existere potest, quin magna excitatio debilitatem subsequatur, et si sanguinem mittere volumus, huic stadio

optime respondebit. Neque recuso, si stadium praecedens violens sit, collapsum pari ratione supervenire; sed non puto missionem sanguinis hanc debilitatem augere, sed, contra, si tempestive adhibeatur, stadium excitationis sub ortum compescere, et periculum debilitatis, quae subsequi soleat, sic feliciter evitari.

Affusio frigida, saepius repetita, est sine dubio remedium optimum, et si recte adhibeatur, in excitatione compescenda utilissima erit. Primo intuitu multas virtutes super venaesectionem possidere videtur, inter quas enumerare licet facultatem ejus cohibendi morbum, sine viribus aegri imminutis, et somnum recreantem qui inde saepissime profluit. Pyrexia accedente, tempus est quo maxime adhiberi oportet, statu cutis calido et arido sic magnopere levato. Boni effectus qui ex usu ejus proveniunt nonnunquam instanter apparent; sed plerumque necesse erit ut saepe et parvo intervallo repetatur. Quum pyrexia accedit, haud levis dolor capitis plerosque aegros vexat; huic affusio frigida multum boni afferet, et signa, quae comitantur usum ejus, nequaquam prohibent. Si affusio u-

tilis futura est, et spem medici rite complebit, corpus minus calidum et aridum evadit, aeger sese recreatum sentit, et sopor jucundus obrepit; perspiratio libera cute occupat, sed interdum pulsus inaequaliter micat, rigores accedunt, et calor corporis gradum priorem tarde recuperat. Pulsus conditionibus nunquam satis animum advertere possumus, antequam aeger affusionem frigidam subeat; nam nisi hoc fiat, plurimum mali inde profluere solet. Si enim actio cordis et arteriarum debilis esset, quamvis superficies corporis vehementer caleret areretque, haud mirum videretur, si affusio convulsiones vel syncopen induceret. Quanquam affusio frigida in hoc morbo magnam virtutem ostendere solet, tamen, ut opinor, locum secundum detractioni sanguinis tenere oportet; nam effectus ejus valde incerti sunt, et malum inducere potest, etiam quum mandata Doctoris CURRIE in hac re tenentur. Conjunctio remedium in omnibus morbis summi momenti semper erit, et nullo magis quam scarlatina hoc consilium medendi utilius reperietur. Multi medici sibimet persuaserunt, nihil aliud in mor-

bis tractandis necessarium esse, quam virtutes
cujusdam remedii super omnia alia constituere,
veluti affusionem frigidam super detractionem
sanguinis, vel hanc super illam firmare; et om-
nibus aliis neglectis, placitum solum adhibere.
Nihil revera obstare potest, quominus venae-
sectio et affusio frigida simul praescribantur;
nam ambae ad idem tendunt, et excitationem
corporis imminuere valent. Purgantia quoque,
sine quibus vix proficere possumus, medicum
magnopere juvabunt; et si remediis jam dictis
jungantur, efficacissima reperientur. In casi-
bus mitioribus sola morbum auferre queunt; et
si affatim porrigantur, dolorem capitis et moles-
tiam abdominis mirabiliter levant. Emetica in-
terdum auxilium ferunt, praesertim quum mu-
cus fauces obsidet, vel materies secreta acrida
evaserit. Diaphoretica, epispastica, et garga-
rismata saepe multum juvant; sed his solis me-
dicum nequaquam niti oportet.

Nostra ratio medendi in secunda specie scar-
latinae malignae haud multum differt ab illa
quae in scarlatina anginosa jam commendata
est. Si vires corporis graviter premantur, et

anxietas magna aegrum vexet, si dein excitatio valida superveniat, si pulsus frequens et acutus evadat, dolorque capitis delirio comiteatur, tunc ad remedia potentissima confugiendum est; nam nisi hoc fiat de victima agitur, et sic per timiditatem et inertiam medici haud dubie peribit.

Hic locus est quo conjunctio remediorum maxime valebit; si enim generalis et localis deductio sanguinis adhibeatur, si capillitium abradatur, et lotiones frigidae vel vesicatoriae eidem applicentur, et si purgantia quoque cum his omnibus uno eodemque tempore sumantur, violentiam morbi saepe compescere poterimus, quum potentissimum quidem, sine auxilio aliorum, impar certamini redderetur.

Quum nulla excitatio primariae depressioni succedit, venaesectio dubium et incertum levamen afferet; sed balneum tepidum stimuli superficiei corporis applicati, et purgantia satis valida maxime convenient.

Ex jam dictis, haud difficile erit meam opinionem de pathologia scarlatinae cognoscere, et illam magis apertam reddere conabor, enu-

merando quae post mortem, secto cadavere, in aspectum venerunt.

Quum victima violentiae morbi succubisset, cerebrum prae aliis partibus manifestissima signa injuriae suppeditavit, et ita sese habuit, ut primo intuitu malum huic organo illatum, proxima causa morbi fuisse videretur. Vasa turgida saepissime reperta sunt, et lymphæ effusa superficiem occupavit; ventriculi interdum plus fluidi solito continebant, et plurima puncta sanguinea in basi apparebant.

Hæ maculae occurrebant quum symptomata ad typhum vergerant, petechiae cutem vexaverunt, vel sanguis e membranis mucum præbentibus fluxerat. In quibusdam exemplis pulmones haud dubia signa inflammationis præbebant; rubri et indurati apparebant: in aliis innumera puncta sanguine tincta per totam substantiam ostenderunt, tanquam structura cellularis hoc fluido reperta esset. Hepar sanguine saturatum interdum vidi, sed saepius incolome evasit. Renes vivide florebant, et in uno exemplo sanguis fluidus pelvem horum organorum complevit. Quum rubor cutis per vi-

tam magnopere eminuit, et maculas discretas occupavit, facultas nobis datur inspiciendi quas mutationes integumentum externum subierit. Cuticula magis densata, et praeter naturam opaca redditur, cute subjacente facile separatur; pars interna albida et granularis apparet, vim resiliendi amittit, et facile lacerabilis evadit. Cutis vera haud dubia signa aucti impetus sanguinis ad sese praebet; vasa capillaria eodem sed nigridi coloris distenduntur, et maculis crebris formam petechiarum assumptibus consistitur. Inter cuticulam cutemque veram spatium tenue materiei viscidae cuticulam humidam referentis vidi; quod haud vasculare apparebat, sed cuti subjacenti adhaesit, et quantum tenax erat, tamen facile separari poterit.

Hanc substantiam ex inflammatione praecedente originem duxisse puto, et naturam illam suppeditasse, quo locum cuticulae disquamatae impleret.



NARROW GUTTERS